

I, 10.^a

I, 10.^a

1,10.

Sammlung
mehrere von Johann Jakob ab Grujmann
erhalten piecen.




Contenta.

1. Johanna Barbara Gleichmann Kraft Evangelischer Freyheit über die übelgläufig und im
Reichstum sehr gern gebräuchte Grässliche Güter, wie sie ja Anfangs der großen Kriegszeit
Reformation einzuführen exercezir, Frankfurt und Tonna 1731.
2. Vicerarandi Antiochicus Landgrafen, welches von allen entlieg gebliebenen Königs Gefolgen,
dann am 11ten Juli 1730. unvergleichlich Königlich Palast, Clementi XII. gegenfertigt worden, Frankfurt
und Leipzig eod.
3. Hof. Farchar. Gleichmann von der Procuratur des J. R. Reichs, welche einem Herzoge von Sachsen
als Landgrafen in Goettingen, zu kommt, Tonna 1732.
4. Montelli Gräfje im Reiche der Lebendigen, Bericht von den wichtigsten Haabt Ergebenheiten
in Europa, Leipzig eod.
5. Johann Petrus Altmühlbergensis Landgrafen am J. Ch. M. in Frankfurt, ibid. eod.
6. Eisd. Höflich beyhenden finanziung, vergangenes, wider von Weßen und Willen in öffentlichen
und gesammelten Landgrafen, ibid. 1733.
7. Hof. Farchar. Gleichmanns Freigeßt Historisch Monatswürdigkeiten von dem Gründosten von Syff
8. Frederico Sapiente, ibid. 1733.
9. Claramondi Communiante juxta an alter protestantische Könige und freyten abgeßtig
und vornehmlich aus canonico, Non from Universitaeten und Gelehrten gänglich abgeßtig
soit, Sallier - Leipzig 1735.
10. Joh. Farchar. Gleichmann de penitus abrogando et tollendo jure Pontificis e foris et Academici Regum
et Princeps Protestantium Consultatio, recusa 1742.
11. Eisd. Wohlmeinende finanziung an die Herrn Vorläufer des Leipziger Sammlungen, wegen unerwissen
Anzeigung des hiesigen Beyschiff von einer unbekünglichen furchtblichen Magdeburg. ffa. Leipzig 1743.
12. Eisd. Wohlmeinende finanziung an die Herrn Vorläufer des Leipziger Sammlungen, wegen unerwissen
Anzeigung des hiesigen Beyschiff von einer unbekünglichen furchtblichen Magdeburg. ffa. Leipzig 1744.
13. Eisd. Monatswürdigkeiten im Reiche der Lebendigen von mehr als einem Welt. 1744.
14. Eisd. Monatswürdigkeiten im Reiche der Lebendigen von mehr als einem Welt. 1745.
15. Eisd. Vorberichts freuden von einer unbekünglichen furchtblichen Magdeburg. ffa. Leipzig 1745.
16. Eisd. die gerettete Ober See Einzelheiten Kriegszeit, welche sich mit dem Grafen von Gleichmann Ludovico,
nach Seinenfolbung an das fränkischen Selarvij, dem äußerst hat, steht in Leipzig 1745.
17. Eisd. Plutarchi Chaeronae verosimilitis assertio de pluralitate mundorum, Genes et Lipsiae 1746.

17. Ejusd. Nöthig beyhundert Schreibblättern an Jg. Christof Weiditz, Jurispracticum Leipzig. Jan 1751.
18. Ejusd. Buch der Königs Freyheit Krieg, die vierte und letzte große Monarchie fü, und mit allem Ruhm des Fürsten Königs Krieg gewannen werden, ibid. 1756.
19. Ode auf den gefallnen Ralf Baron von Kirchfeld, als Angehörer von Jg. Reg. Siegs R. M. mit dem Dr. Ammen Orden begründigt wurde. Altenburg 1763.

16

PLVTARCHI CHÆRONÆI
VEROSIMILIS ASSERTIO
DE
PLVRALTATE MVNDORVM,
EX EIVS LIBELLO HODIE RARO:
DE ORACVLORVM DEFECTV,
DESVMTA,
CVM
MARCELLI PALINGENII STELLATI,
CELEBERRIMI POETÆ ITALI,
DE EADEM RE SENTENTIA:
CVM NONNVLLIS ANNOTATIONIBVS,
IN LVCEM PVBLICAM EDITA,
A
JOH. ZACHARIA GLEICHMANNO,
alias: HELMOND.



LIPSIAE, apud Jacobum Schusterum,
Et IENAE, apud J. B. Hellerum, & G. M. Marggrafium.

Anno MDCC XLVI.

16



AD MAIOREM DEI GLORIAM!



pinionem; de *Mundorum Pluralitate*, non novam, sed vetustissimam esse, hoc inter alia satis patet ex *Plutarchi Cheronei*, in lingua Græca publicato & ab *Adriano Turnebo* latinitate donato libello: *de oraculorum defētu*. Hunc ego reperi in illo antiquo libro, qui in forma octava *Lipsia*, anno M. D. LXXVI. sub rubro prodiit: *Commentarius de generibus divinationum*, *Auctore Joachimo Camerario Pabepergensi*. In hoc libello invenitur quoque supra memorati *Plutarchi Scriptum*, eodem anno *Lipsia* sequenti sub titulo impressum: *De natura & effectiōnibus Dæmonum libelli duo Plutarchi Cheroneensis*, *cum explicationibus, & Proœmio Joachimi Camerarii*, &c. Præmissum a Camerario Proœmium satis prolixum est, & in fronte gerit sequentem inscriptionem: *In libellos duos Plutarchi Cheronei, unum de oraculis, que defecerint, alterum de consecrata figura EI. Delphis, Proœmium Joachimi Camerarii, &c.*

Nunc videamus, quid hic homo ethnicus, nempe s̄epe commemoratus *Plutarchus*, de *Pluralitate Mundorum*, in allegato hodie raro libello sentiat. Sic igitur in scripto: *de defētu oraculorum*, p. m. 42. & 43. legitur: Quid verat non unicum in natura mundum, sed plures extare? Etenim qui assert, in eo unicam esse terram, unicum mare, quod promtum & perspicuum est, non videt, res esse alias, quæ partium similitudine censeantur. - Nam quod nonnulli tantopere formidant, atque ideo universam materiam in hunc mundum consumunt, ne, si quid foris ejus reliquum sit, impulsionibus & plagis hujus coagmentationem labefactet & disturbet, temere formidant. Plures enim si mundi sint, ac privatum cum sua quisque substantia & materia modum & terminum certum definitumque sortiatur, nullæ vacabunt tanquam reliquia vel ordinis vel descriptionis expertes, quæ extrinsecus inferantur. - Pag. 44. in fine, & p. 45. ab initio, sic differere pergit: Quam enim cunque quis istarum effectiōnium & mutationum causam effectricem & tanquam architectam esse statuet, ea sane mundum quemque in suo statu continebit. Singulis enim sūm erit mare, singulis sua terra, cum sūm quisque medium habeat, mutationes, affectiones, naturam, potestatem, quæ eodem in statu quemque tueatur arque conservet. Pag. 47. & 48. sequentia occurunt: Jam vero reliqua, quæ Stoici objiciunt, rogantes, ec quonam modo fatum unum, una providentia mansura sit, ac non potius multi Joves futuri sint in mundorum multitudine, quis pertimescat? Primum enim si multis esse Joves ineptum est, annon obsecro, quæ ab eis dicuntur, multo

multo ineptiora erunt? -- Cur necesse est multos esse Joves, si multi mundi sint, ac non potius in unoquoque Deum quendam Principem ac Pr̄esidem totius Summae esse, mente & ratione pr̄editum, cuiusmodi est, qui apud nos omnium dominus & pater vocatur: aut quid vetat Jovis providentia & fato omnes obtemperare, eumque vicissim omnes lastrare & moderari, omnibus principia, semina, rationes eorum, quæ gerantur, largientem? -- Imo vero descriptio talis & designatio in primis e Deorum* dignitate fuerit.

Nunc attendas, quæso, quid porro ab hoc Plutarcho, in commemorato libello, p. m. 49. de Mundorum Pluralitate in medium prolatum fuerit. Sic enim scribit: Verus Jupiter honestas habet & decoras multis in mundis vices, non in vacuum infinitum extra intuens; Sed plurima Deorum & hominum opera, motus astrorum & cursus, quorum statæ sunt conversiones, aspiciens: Nec enim Deus a mutationibus odio quodam abhorret; sed si quid ex iis, quæ sub oculos cadunt, augurari licet, cœlestibus vicissitudinibus & conversionibus vehementer oblectatur.

Ethnicum huc usque hominem de Pluralitate Mundorum differentem audivimus; nunc vero videamus, quæ homo quidam Christianus isque celeberrimus, de ejusmodi Pluralitate aut Multitudine sentiat. Sic enim hoc memorie mandavit

MARCELLVS PALINGENIUS STELLATVS, famigeratissimus Poeta Italus, qui vixit & floruit tempore Romanorum Imperatoris Caroli V. Hic in lucem publicam edidit libellum elegantissimum & multa doctrina conspicuum, sub titulo: *Zodiacus vite*. In hoc per cœlestia signa, calamo doctissimo innexus, quasi iter fecit, & in *Libra* sic disseruit:

Nunquid credibile est, terram pontumque habitari,
Duntaxat, quæ sunt cœlo collata fere nil?

Quid tellus pontusque simul? punctum prope dicas,

Si mundi spatium immensum & mirabile acuto

Perpendas animo: quin ipsis quodlibet astrum

Est majus, veluti perhibent, qui talia norunt.

Ergo tam exiguis locus, & tam vilis habebit

Tot pisces, homines, pecudes, volucresque, ferasque,

Cætera erunt vacua, & proprio cultore carebunt?

Atque aer desertus erit, desertus Olympus?

Delirat, ** quisquis putat hoc, hebetisque cerebri est:

) z Im-

* Ab homine ethnico cum hæc, quæ hucusque adduxi & quæ s'quuntur, s'nt scripta, ethnice q'aque P'utarchus in his & similibus, mentem suam declaravit, quod nulli homini christiano mirum videbitur, multo minus offendiculo ipsi erit. Interim satis in aprico est, ad majorem DE dignitat' m' talem opinionem esse.

** Quoniam doctrina de Mondo um Pluralitate, non certissima; sed tantum veroshillima est; hæc a Palingenio dicta & infra repetita, non modeste & prudenter prolatâ fuit.

Immo illic longe plura & longe meliora
 Vivere credendum est, longeque beatius atque hic.
 Denique si verum volumus sine fraude fateri,
 Est hominum sedes, brutorumque infima tellus:
 Ast aer ultra nubes, cœlumque beatum,
 Pax ubi perpetua & nitidi lux clara diei
 Assidue regnant, domus est & regia divum.
 Quos licet haud possit mortalis cernere visus;
 Sunt tamen innumeri, bibulæ quot corpora arenæ
 Litoribus cunctis, cunctis quot gramine campis.
 Quis credit cœlum, tam immensum, tamque decorum
 Desertum omnino, ac solum, vacuumque colonis,
 Quum teneat vilis tam multa animalia tellus,
 Delirat, crassa mentis caligine pressus,
 Nec minus ac pecudes terrena in fece sepultus.

Interjectis aliis in eadem Libra sic scribere hac de materia pergit:

Nempe suas aer cœlumque ac sidera cives
Indigenasque tenent: quod qui negat ille beatis
 Invidet, arque Dei majestatem inspiriter
Blasphemat, num quid non est blasphemata, cœlum
 Dicere desertum, * & nullis gaudere colonis?
 Atque Deum nobis tantum brutisque præesse,
 Tam parvis, & tam miseris animalibus, & tam
 Ridiculis? certe scivit, potuit voluitque
Omnipotens genitor, nobis meliora creare,
Que vivant meliore loco: ut sua gloria major
Majus & Imperium foret, & perfectior orbis.
 Nam quo plura facit, quo nobiliora, relucet
 Hoc magis & mundi decus, & divina pœnas.
 Sed dubium est, an sint puræ & sine corpore formæ:
 An varia, ut nos, membrorum compagine constent?

Sed nunquid morti debentur? credere par est.
 Vivere longa quidem & felicia secula, tandem
 Desinere atque mori, nam si corrumptitur aer

Atque

* Inconfiderate, mi Pasingeni, hæc a te scripta sunt. *Ratio enim sufficiens deest, illos, qui Tecum Pluralitatem Mundorum credere nolunt, tanquam blasphemos accusare. Ob deficientem demonstrationem certissimam, liberum cuique manet, Pluralitatem Mundorum credere, vel non. Temere igitur non credentes tanti criminis rei dicuntur.*

SS) (SS

Atque ignis cur non pereant viventia in illis?
Nempe loci naturam haurit sequiturque locatum.
Forte aliquis, quali specie, qualive figurā
Sint, hæc scire velit, par est quoque credere talem
Esse illis faciem, qualem nec terra nec unda
Ferre solet, nostra meliorem ac nobiliorem.
Qualem nec fas est, nec cernere possumus ipsi.

Sed quid agunt? gaudent sensu, & ratione vicissim,
Nunc hoc nunc illa utentes: mirisque fruuntur
Deliciis, quas humanum nec fingere possit
Ingenium, nec mortalis percurriere lingua.
Illic est verus mundus, vera entia, vera
Divitiae, veri mores, & gaudia vera.
Ast hic sunt umbrae tantum, simulacraque rerum
Frivola, qua parvo momento, ut cera, liquescunt.
Illiū mundi quedam est hic noster imago.
Quantum pictus ab hoc, tantum hic quoque distat ab illo
Mentali archetypo, & quedam est illius imago.

Idem Palingenius in Aquario:
Sed de hoc jam fatis: ad reliqua accedamus, & utrum
Sint deserta poli pulcherrima regna beati,
An quisquam sedes illas teneatque colatque,
Præfens hora manet solito nos dicere versu.
Quum cœlum sit tam immensum, tantique decoris,
Conspicuum tot sideribus, tam nobile corpus
Desertum & vacuum & solum incultumque manebit?
Terra autem innumeris gaudebit colonis?
An mare & tellus, locus est jucundior atque
Pulchrior & melior, vel toto major Olympo?
Propter quod potius, quam æther mereantur habere
Tot cives, & tam variis animalia formis?
An Regis prudentis erit, fabricare palati
Ingentem molem, peregrino marmore & auro
Egregiam, & mire speciosam intusque forisque,
Nolle tamen, (stabulo excepto) permittere quenquam
Tam pulchras habitare edos, vacuasque tenere?
Nempe est totius mundi stabulum terra, in qua
Sunt omnes fordes, pulvis, cœnumque fumumque;
Ossa, putres carnes, varia excrementa animantium,

Quis memorare unquam tot fœda immundaque posset,
 Quæ tellus & pontus habent, ac semper habebunt?
 quis nescit pluvias, nebulas, nubesque nivesquæ:
 Prælia ventorum, tempestatumque furores,
 Quæ mare perturbant, quatunt terram, ærea versant?
 Terra tamen pontusque tenent animalia multa:
At cælum vacuum, vacuum cælum esse putatur?
 O vacuæ potius mentes, quæ creditis istud?
Quippe suos etiam cives habet æther, & Astra.
*Singula sunt urbes cæli sedesque Deorum**
 Illic & Reges, populi inveniuntur, & illic;
 Sed veri Reges, populi veri, omnia vera:
 Non velut hic, umbræ simulacraque inania rerum,
 Quos cito mors rapit, & tempus terit, inquinat, aufert.
 Illic felices, immortales, sapientes:
 Hic habitant miseri, morrales, insipientes:
 Illic pax & lux regnant, & summa voluptas:
 Hic bellum assiduum & tenebrae, & genus omne doloris.
 I nunc, & lauda terram hanc, hanc dilige vitam.
 Imo aude, o demens, stabulum hoc præponere cælo.

Cælicolis etenim tenuissima corpora cunctis,
Ille auctor mundi dedit, atque levissima, quare
Ipsis non opus est foribus, patulisve fenestris:
 Per medios intrant muros, & marmora tranant,
 Vsque adeo est illis tenuis natura, potensque.
Quis, nisi vidisset, pisces habitare sub undis,
 Sub limo ranas, Salamandras vivere in igne,
 Crederet? at vera hæc tamen & mira esse fatentur.
 Plurima sunt, quæ quum fieri non posse putemus,
 Sæpe tamen fieri possunt, & facta videmus.
 Cur non ergo DEUS potuit quoque condere tales
Cælicolas, qui per Cælum facile ire valerent,
 Nulliusque cibi vel potus prorsus egerent?
 Si potuit, certe voluit: nam turpe fuisset,
Tam pulchras sedes tamque amplas linquere inanes.
 Atqui cælicolis non est opus, ut vel arando,
 Vel fodiendo parent alimenta juyantia vitam:

Quan-

* Hoc ethnicisimum sicut, lege potius; divorum.

Quandoquidem non sunt illis mortalia membra,
 Que instaurare solent sensim labantia victus.
 Nec sitiunt unquam *divi*, esuriuntve beati.
 Denique nulla illos penitus contristat egestas:
 Quippe *ultra fines lune illætabile nil est.*
 Cuncta mala in terris posuit DEVS, illaque clausit.
 In medio, & vetuit sacram contingere cœlum.
 Ergo felices vivunt, Nectarque bibentes,
 Ambrosia viridi pascuntur gramine, cuius
 Copia magna oritur passim cœlestibus arvis.
 Cœlicolum vero illorum felicior atque
 Nobilior vita est, *loca qui magis alta frequentant.*
 Nam quanto æthereis locus & sublimior cris,
 Tanto etiam melior, tantoque beatior idem est.

Sed, quem in finem hæc a te ex *Plutarcho & Palingenio*, sunt prolatæ?
 Si aliquis interroget, hæc responsio est in promtu: Ideo hoc a me factum
 est, quia in edito ante aliquot tempus *Colloquio in regno viventium*, hanc quo-
 que opinionem: *de Pluralitate mundorum*, amplexus sum, & non ut homo
 ethnicus, sed ut *Christianus* vera religioni evangelica addictus, hac de ma-
 teria differui. Hoc meum colloquium aliqui malevoli, inter quos non
 nulli sunt, qui soli sapientes videri volunt, ita interpretari conati sunt, ac
 si novam aliquam doctrinam in medium protulerim, eamque temere ex sacris
 scripturis probare ausus fuerim. Imprimis quidam, *qui in vivis esse desit,*
 & qui præ aliis *Christi mansuetudinem* imitari & sequi debuissent, nimis ve-
 hementer in publico convivio contra me, ob arreptam hanc opinionem,
 injuriosa verba pronunciavit. Ego patienter tuli hanc injuriam, mihique
 nunquam in mentem venit, par pari referre. Ut igitur appareat, hanc
 doctrinam, sive hanc opinionem, non esse novam, hæc antiquitatis mo-
 numenta, in lucem publicam prodire jussi, ut novitatis suspicionem seu
 rerum novandarum studium, a me abstergerem. Sane ii, qui plane novam
 hanc opinionem esse autuant, ignorantiam suam produnt & nesciunt,
 quid *Derhamus*, *Wolfssius*, *Wideburgius*, *Georgius Vansky*, & alii celeberrimi
 viri, nostra ætate, de probabilitate & maxima verisimilitudine hujus *Hypothesis*,
 literis mandaverint. Mihi sufficit, quod mihi bene imo optime conscius
 sim, omnia ea, qua hæc de materia in lucem publicam protuli, ex vero &
 infucato amore, ad majorem omnipotentis D[omi]ni gloriam, profluxisse, quam
 ego verosimilem sententiam nunquam mutabo, & cum omnibus creden-
 tibus & piis, post fata mea, in æternam immensam DEI OPTIMI MAXI-
 MI omnipotentiam, in purissima angelorum sanctorum societate celebrabo.

De

De cetero, ingenui fateor, hanc doctrinam esse *supra captum vulgi*, & is
haud prudenter ageret, qui inter plebem de *Mundorum Pluralitate* loqui
vellet. Meo iudicio haec *Hypothesis* tantum iis convenit, quibus, ut cum
Poeta loquar,

ex meliori lutho finxit praecordia Titan.

Ego, ut me jam in supra commemorato *colloquio*, satis declaravi, ita sentio: Quicunque *pluralitatem mundorum* credere non vult, is tamen, si in *vera fide christiana & pietate*, ad finem usque permanet, salvari potest. Qui-
cunque autem *mundorum pluralitatem* ut *vero summam amplectitur*, is quo-
que, si vere credit & pie vivit, atque in *vera Dei agnitione & fiducia in unicum*
nostrum Redemptorem & Servatorem Jesum Christum, pie ad extremum usque
vitæ halitum perseverat, æternæ felicitatis & vitæ particeps fieri potest.
Injustum igitur esse existimo, hominem, *probabiliter ejusmodi pluralitatem*
mundorum statuentem, convitis proscindere aliisque ludibrio exponere,
quod omnes *christiana moderatione* prediti, a se alienum esse putabunt.
Mihi satis est, quod firmiter persuasus sim, & quod cum celeberrimo
Theologo illo Anglicano, *Derhamo*, existimem: talem Hypothesin tendere ad

MAIOREM DEI OPTIMI MAXIMI GLORIAM.

P. M.

Apud Auctorem hujus scripti venale, pro X. thaleris prostat: **Corpus**
Juris Justiniane glossatum, constans ex quatuor voluminibus, in forma
regali impressis, & litteris majoribus manu pictis variisque coloribus or-
natis. Impressum est hoc opus Venetiis, per Baptistam de Tortis, in annis
MCCCCC. & MCCCCII. Raritatem hujus operis facile agnoscent ii, qui harum rerum intelligentes sunt, dignumque omnino judicabunt, ut in
bibliothecam aliquam publicam, tanquam peculiare ornamentum & præ-
stantissimum antiquitatis monumentum collocetur. Porro scripti hujus
Auctor vendere constituit, rarissimum opus Cyriaci Spangenbergii, sub
titulo: *Adel. Spiegel &c.* Ex duabus partibus in duobus voluminibus in
folio consistit. Pro parata pecunia duodecim thalerorum, illi, qui hoc
sibi comparare vult, extradetur.



26

TTK 4250

ULB Halle
001 530 143

3



sb

26





16

PLVTARCHI CHÆRONÆI
 VEROSIMILIS ASSERTIO
 DE
PLVRALTATE MVNDORVM,
 EX EIVS LIBELLO HODIE RARO:
 DE ORACVLORVM DEFECTV,
 DESVMTA,
 CVM
MARCELLI PALINGENII STELLATI,
 CELEBERRIMI POETÆ ITALI,
 DE EADEM RE SENTENTIA:
 CVM NONNVLLIS ANNOTATIONIBVS,
 IN LVCEM PUBLICAM EDITA,
 A
JOH. ZACHARIA GLEICHMANNO,
 alias: HELMOND.



LIPSIAE, apud Jacobum Schusterum,
 ET IENAE, apud J. B. Hellerum, & G. M. Marggrafium.

Anno MDCCXLVI

16